

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

LXXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

LXXXI. Atque hæc hætenus utriusque partis præsidia sunt atque fundamenta, in conspectum à nobis idèò genuinis coloribus posita, ut incorruptum in indagandâ veritate iudicium ferre quilibet possit.

LXXXII. Existimo verò, quisquis accurato ingenii studio rem altius consideraverit, non posse defugere, quin calculum suum sententiæ priori, quæ damnatos peccaturos esse affirmat, protinus adjiciat, adèò validis nititur præsiidiis, quibus corruentibus, multos necessariæ fidei nostræ articulos, in caducum inclinare parietem, & fundamentis destitui, quibus hætenus fortissimè propugnati fuere, prorsus sum persuasus. Cum verò sub initium discursus nostri, hoc ipsum diversarum sententiarum dissidium, in plures scindi discordantium opinionum partes, monuerimus, iudicium nostrum de singulis, priusquam ad rationum utriusque partis examen descendamus, paulò amplius expone-
mus.

LXXXIII. Et primò quidem videri possent, omnium optimè atque tutissimè facere illi, qui ab argumento hoc sterili & curioso magis, quam, quod utilitate quapiam sive in sanctam disciplinam Theologicam, sive quamcumque aliam eruditionis partem, sese commendet, calamum abstinere, iudicium suspendunt, feriisque & utilioribus animi vires adhibent. Quid enim nostrâ, inquirunt, interest, scire, quid faciant ii, qui extra nos sunt, ut Apostoli verbis utar, ad scopum ipsorum paululum inflexis? Sive agant, sive ocientur; sive facinoribus dent operam, sive retrahantur divinâ vi à pessimis operibus; sive edant, sive bibant, sive ad ignem coquant, sive ob fumum oculos terant, lacrymasque eliciant damnati, quid ad nos, qui neque metu pœnæ, neque spe præmii ad æterna gaudia grassamur? Et si pœnam timemus, cruciatuum passio, quanta unquam verbis enunciari potest, atrocissima, efficiet, ne in hac vitâ agamus id, ob quod tam crudelia pati quondam oportebit. Sed verò, sicut nos quemlibet suo patimur iudicio abundare, neque cuiquam necessitatem imponimus, sensum de hac quæstione suum aperiendi: ita ne libertas nostra, quam nobis eripi aut in dubium vocari nefas est, inhumanius condemnatur, jure postulamus. Præterea, quicquid aquarum è fœ-